



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

In Nomine Sanctissimæ Et Individuæ Trinitatis, Amen. Institutionum
Canonicarum Libri II. Summa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

IN NOMINE
 SANCTISSIMÆ ET INDIVIDUÆ
 TRINITATIS,
 AMEN.
 INSTITUTIONUM CANONICARUM
 LIBRI II.
 S U M M A.



Constitutione Prælatorum, eorum, cæterorumque administratorum & Judicum, præsertim Ecclesiasticorum, Officiò ac Potestate declaratis, variisque Judiciorum Præparatoriis, quasi præludiis quibusdam decursis, aggredimur ipsum Ordinem, sive, ut communi usu vocatur, Processum Judicium: quem Gregorius IX. ejusque, sicut in Vicaria Christi in terris potestate successores, sic & in Ecclesiasticis sanctionibus adornandis, novisque & saluberrimis Constitutionibus exornandis perficiendisque imitatores Bonifacius VIII. Clemens V. & Joannes XXII. perquam accuratâ & ab ipsis quoque Imperialium Sanctionum Interpp. ac DD. approbatâ methodò, & Apostolicarum Constitutionum, omnium ferè etiam Secularium Curiarum usu receptâ Æquitate, secundò hòc Decretalium Librò sunt executi. Continet autem Processus iste, sive Judicium latiùs acceptum, omnia Acta circa causam sive controversiam à partibus litigantibus propositam, & dividi à DD. solet in tres partes, Judicii principio, medio, sive progressui finique respondentes: quarum prima inchoatur Citatione, sive Rei ad Actoris instantiam in jus evocatione, Conventionisque & Reconventionis Libelli oblatione: & hanc secutâ, illos inter agitandæ Litis, in judicio factâ contestatione absolvitur. Altera complectitur imprimis præstationem Calumniæ & huic affinis Malitiæ vitandæ

vitandæ juramenti, Dilationum ac Feriarum, litigantibus à Jure vel à
 Judice concessas inducias, & quæstionum, in eam, quæ principaliter in
 judicium deducitur, incidentium & Possessionis ac Proprietatis causarum
 ordinationem: dein dolosæ litigantium Contumaciæ per expensarum
 refectionem, Missionis in possessionem & Sequestrationis decreta coerci-
 tionem: & demum plenam causæ actorem inter & reum controversæ,
 istiusque, ex Confessionibus, Depositionibus testium receptis, ex Instru-
 mentis & probationibus aliis hisque objectis exceptionibus, apparen-
 tium meritorum discussionem: & à litis Contestatione extenditur ad
 ipsam in causa, ut vocant, Conclusionem. Postrema, quæ post hanc fiunt,
 omnia, Sententiam scilicet, sive judicis super causa pronuntiationem de-
 finitivam, istiusque vel in Rem judicatam transitum & executionem, vel
 per Appellationem relationemve ad superiorem Magistratum provocan-
 tium suspensionem comprehendit, & latæ ab inferiore sententiæ Re-
 formatione vel Confirmatione terminatur. Bartol. in *l. Furtorum 2.*

ff. de Furtis, n. 6. Beroius in *Rubr. de Judiciis, n. 6.* & Maranta
de Ord. Judic. p. 6, n. 1.



LIBRI